



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 172. Vtrum dominium acquiratur ante traditionem, & possessionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

dium frumenti, non potest exigere aliud, quam modium frumenti, & si exigat plus, est usurarius.

8. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia licet usus, seu facultas utendi, si sit reuocabilis, distinguitur, & sit separabilis à dominio, tamen non est vendibilis seorsum à dominio, cum tanti valeat, quanti dominium simul, & usus, vt ostensum est.

9. Ad 2. distinguo antecedens: quia usus domus, aut vestis utrumque distinguitur à dominio, potest vendi, retento dominio, nego; quia ita distinguitur à dominio, vt non consistat in ipsa destructione, concedo; & nego consequentiam. Usus domus, aut vestis potest vendi, retento dominio, quia non consistit in ipsa destructione dominij. At usus actualis pecuniæ, frumenti &c. consistit in ipsa destructione dominij, ideoque non potest vendi, retento dominio, nec vendi potest pretio distincto à pretio dominij.

QVÆSTIO CLXXII.

Vtrum dominium acquiratur ante traditionem, & possessionem?

1. **V**idetur nunquam dominium acquiri ante traditionem, & possessionem. Vt enim statuitur lege *Traditionibus*, cod. de pactis, traditionibus, & usucapionibus, dominia rerum, non nudis pactis comparantur: ergo &c.

2. Respondeo possessionem, vt docet Paulus Iurisconsultus, leg. 1. §. 1. ff. de acquirenda possessione dicitur à pedum positione, quia pedum positio est præcipuus actus, quo apprehenditur possessio rerum immobilium. Possessio satis communiter definitur ex Hostiensis, Azone, & alijs *rei corporalis detentio corporis, & animi, iurisque adminiculo*. In idem recidit definitio, qua possessio definitur à Couarruua ad regulam *possessor: Apprehensio rei corporalis, vera, vel ficta, corpore, & animo, iurisque adminiculo*. Dicitur *apprehensio, seu detentio rei corporalis*, quia iurium, & rerum incorporalium, sicut non datur propria apprehensio, vel detentio, ita non datur propria possessio, sed quasi possessio. Si verò dicamus etiam iura, & res incorporales propriè possideri, & velimus earum possessionem allata definitione comprehendere, expungenda est particula *illa corporalis*. Dicitur *detentio, seu apprehensio vera, vel ficta*, quia aliquando verè apprehendimus res corporales possidendas, manibus quidem, si sint res mobiles, vt cum manibus apprehendimus, ac detinemus gemmam in littore maris inuentam, vel pedibus, eorumque positione, si sit res immobilis, vt cum intramus in agrum possidendum. Aliquando verò res non apprehenditur verè, sed fictè per aliquem actum, qui fictione iuris censetur moralis apprehensio rei. Dicitur *corporis, &*

animi, quia ad comparandam possessionem non sufficit, vt res apprehendatur, ac detineatur solo corpore, vel solo animo, sed requiritur, vt apprehendatur animo simul, & corpore: ex. gr. vt quis acquirat possessionem gemmæ in littore maris inuentæ, non sufficit, vt eam manu corporaliter apprehendat, nisi habeat animum illam sibi vindicandi, nec sufficit, vt habeat animum illam sibi vindicandi, nisi corporaliter etiam apprehendat. Demum dicitur, & *iuris adminiculo*, quia ad possessionem requiritur, vt ius non resistat, reddendo apprehensionem corporis, & animi moraliter nullam, & inuadam in ordine ad possessionem comparandam.

3. Possessio diuiditur in naturalem, & civilem. Possessio civilis est, quæ solo animo retinetur. Quamuis enim ad acquirendam primo possessionem civilem requiratur, vt res apprehendatur animo simul, & corpore, tamen aliquando ad retinendam possessionem civilem sufficit, vt retineatur solo animo: ex. gr. cum dominus abest, & alius inuadit possessionem agri, vel domus, absente domino, dominus absens solo animo retinet civiliter possessionem sui agri, vel domus. Possessio naturalis est, qua res retinetur animo simul, & corpore, altero retinente possessionem civilem: ex. gr. qui domino absente, & ignorante, inuadit possessionem agri civiliter possessi à domino, possidet agrum solum naturaliter animo simul, & corpore. Possessio civilis, & naturalis aliquando separantur, aliquando coniunguntur: ex. gr. cum dominus præsens possidet agrum suum animo simul, & corpore, possidet civiliter simul, & naturaliter. At cum domino absente, & civiliter possidente agrum suum, alius inuadit possessionem talis agri, dominus absens possidet suum agrum civiliter tantum, non naturaliter: inuasor possidet naturaliter tantum, non civiliter.

4. Debet aduerti ex Molina tract. 2. disp. 12. & 17. quod dum possessio definitur *detentio, vel apprehensio rei &c.* definitur potius possessio causalis, seu causa possessionis, quam ipsa possessio formalis. Ratio est, quia apprehensio, ac detentio rei non tam est ipsa formalis possessio, quam causa possessionis. Possessio igitur formalis definitur à Bartholo Lege in principio, ff. de acquirenda possessione, *ius insistendi rei non prohibita possideri*. Hæc definitio rejicitur à Molina tract. 2. disput. 17. & à Cardinali de Lugo disput. 2. sect. 4. num. 64. Nam fur verè possidet rem alienam, & tamen iniuste, ac non iure possidet, adeoque non habet ius insistendi rei alienæ: ergo ad possessionem formalem non requiritur, vt sit ius insistendi rei. Melius ergo possessio formalis definitur à Molina loco citato, *insistentia actualis, aut quasi habitualis in re aliqua, ex apprehensione, corpore, & animo iuris adminiculo proueniens*. Igitur fur licet non habeat ius insistendi in re, tamen verè insistit rei, quam animo, & corpore apprehendit. Et licet

et lex non det fari ius insistendi in re, tamen fur verè insistit rei, nec ius resistit tali insistentiæ, nec reddit illam moraliter nullam, & inualidam, sed relinquit validam, idest veram, & realem, quamvis illicitam.

5. His circa possessionem præmissis, ad quæstionem in titulo propositam, dicendum primo, quod ad acquirendum dominium regulariter non sufficit titulus emptionis, donationis &c. sed requiritur traditio, vel alius actus ex ijs, quibus comparatur possessio. Probatur ex lege, *traditionibus*, cod. *de pactis* §. *per traditionem*, & quatuor alijs sequentibus, & ex institutis de rerum diuisione, & alijs iuribus citatis à Couarruuiis 2. variarum resolution. cap. 17. num. 1.

6. Dicendum secundo: in aliquibus casibus expressis à iure, dominium acquiritur per solum titulum ante traditionem, & ante actus, quibus comparatur possessio. Primus casus est, quando Ecclesijs, Monasterijs, Hospitijs, & quibusdam alijs locis pijs, Ciuitatibus etiam, vel in redemptionem captiuorum hæreditas aliqua, vel legatum, aut fideicommissum est relictum, vel titulo donationis aliquid eis datum, aut etiam venditum est, statim ante traditionem transit ad ea dominium, adeoque si ante traditionem vendantur, aut tradantur alteri emptori, inualida est talis ventio. Ita statuitur lege *inter diuinam*, cod. *de sacrosanctis Ecclesijs*.

7. Secundus casus est. Hæres, siue ex testamento, siue ab intestato si succedat in bonis defuncti, statim, ac hæreditatem adit, & proficitur se illam acceptare, ante traditionem, & ante actum possessiuum acquirit dominium bonorum defuncti. Ita statuitur leg. *cum hæredes*, ff. *de acquirenda possessione* per hæc verba: *Cum hæredes instituti sumus, adita hæreditate, omnia quidem iura ad nos transeunt: possessio autem nisi naturaliter apprehensa sit, ad nos non pertinet.* Imò in regno Galliarum, & in multis locis Italiæ, lege speciali talium locorum etiam possessio hæreditatis transit ad hæredem per solam aditionem, seu acceptionem ante traditionem, & ante alium actum possessiuum. Antequam hæres acceptet hæreditatem, hæreditas dicitur iacere, quia caret domino, licet hæres habeat ius ad rem.

8. Tertius casus est. Quando aliquid designatum in indiuiduo, vt talis fundus, aut talis seruus legatur alicui, statim, ac hæres adit hæreditatem, Legatarius etiam ignorans acquirit dominium rei legatæ: imò ex iuris fictione censetur acquisiuisse dominium rei legatæ ab ipsa morte testatoris. Ita colligitur ex lege à *Titio*, ff. *de furtis*, ex lege *si tibi* §. *cum seruus*, ff. *de legatis*, vt docent glossa, & communis sententia. Quando verò legatur alicui aliquid, certum quidem in quantitate, incertum autem in indiuiduo, ex. gr. tanta pecunia, tantum frumentum &c. licet adita hæreditate, legatarius non comparet dominium illius, vt potè, quod incertum est, conceditur

tamen legatario actio hypothecaria, per quam bona defuncti ad quemcumque perueniant, manent hypothecata, & obligata pro solutione talis legati, vt habetur lege 1. cod. *communis, de legatis*, & vt docet communis opinio. Eadem actio hypothecaria conceditur legatario, cum aliquid est legatum in singulari, & in indiuiduo. Tunc enim si res legata culpa hæredis consumpta fuerit, vel delata in regionem longinquam, obligantur bona hæreditaria pro solutione legati.

9. Quartus casus est. Cum quis aliquid alteri donauerit ea lege, vt donatarius alimenta det donatori, si donatarius alimenta non det, statim ante traditionem dominium rei donatæ reuertitur ad donatorem. Ita habetur leg. 1. cod. *de donationibus, que sunt modo*.

10. Quintus casus est. Quando vnus aliquid donauit alteri cum eo pacto, seu modo, vt finito certo tempore, res illa deueniret ad quemdam tertium, transacto tempore statuto, dominium rei transit ad illum tertium etiam absentem, & ignorantem. Ita docent Decius, & alij, quos refert Couarruuias 1. variar. resolution. cap. 14. num. 2. & colligitur ex lege *quoties*, cod. *de donationibus, que sunt modo*, licet contradicant Couarruuias, & alij.

11. Sextus casus est. In regno Castellæ, lege 45. Tauri sancitum est, vt mortuo possessore maioratus, possessio tum ciuili, tum naturalis bonorum maioratus transeat ad legitimum successorem, non obstante, quod alius occupauerit possessionem talium bonorum. Si transit possessio ante traditionem, à fortiori transit dominium.

12. Septimo dicunt aliqui, quod Princeps eo ipso, quod donat, aut vendit aliquid, vel alium contractum celebrat translatiuum dominij, ante traditionem transfert dominium. Fundamentum est, quia Princeps, cuius est leges condere, potest per suam voluntatem transferre dominium ante traditionem: ergo verisimile est, quod velit, adeoque transferat. Probabilius tamen est, vt docent Couarruuias, Molina, & alij, quod Princeps cum facit contractus onerosos, non transferat dominium ante traditionem. Ratio est, quia præsumitur velle contrahere eo pacto, quo contrahunt alij. At verò cum donat, aut dat priuilegia, transfert dominium ante traditionem, quia tunc præsumitur eam esse voluntatem Principis. Confirmatur ex capite *si tibi absentis*, de *præbendis* in 6. vbi statuitur collationem beneficii sufficere ad translationem dominij.

13. Ad argumentum in contrarium respondeo leges illas esse intelligendas, quod regulariter dominia non acquirantur ante traditionem, licet in casibus quibusdam ex speciali dispositione legum acquirantur ante traditionem.